



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCXC. Continuatio ejusdem Argumenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

gnūmque illius fore terrenum. Sic quoties terrenum aliquid petimus, nescimus, quid petamus: an scilicet id utile, vel damnosum sit nobis futurum. Ideo S. Paulus Rom. 8. v. 26. ait: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis (id est, facit, & docet nos postulare) gemitibus inenarrabilibus: scilicet animo nostro infusis: quibus terrena nonnisi sub conditione, si nobis utilia & DEO placita fuerint; Cælestia verò, quæ DEO placita ex formula Orationis Dominicæ novimus, efficaciter appetimus.*

PUNCT. III. *Potestis bibere Calicem, quem Ego bibiturus sum? Matth. v. 22. Aut Baptismo, quo Ego baptizor, baptizari? Marc. 10. v. 38. At illi dixerunt: Possumus.* Passionem suam Christus Calicem, & Baptismum appellat, & Exemplum suum allegat: ut ad patiendum nos invitet suo Exemplo, & Patientiæ utilitatem per duplicem metaphoram declaret; quia velut sumptio Calicis, & ablutio corporis, se habet ad corpus, ita Patientia adversorum ad Animam se habet, quam refrigerat, recreat, & mundat. Cura ut velut duo Filij Zebedæi idem possis re ipsa respondere.

## MEDITATIO CCCXC.

### Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 20. Marc. 10.

PUNCTUM I. *Calicem quidem, quem Ego bibo, bibetis: & Baptismo, quo Ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad Dexteram meam, vel Sinistram, non est meum datum vobis, sed quibus paratum est. Marc. 10. v. 39. Pro Gloria, & quiete temporali, quam per sessionem ad Dexte-*



Dexteram & Sinistram in Regno Christi terreno, tenderant duo Filij Zebedæi, Christus Calicem & Baptismum suæ Passionis promittit. Sic magnum DEI Beneficium est, si pro prosperis, quæ malè petimus, DEVS immittit aduersa, & tribuit simul Gratiam Patientiæ, ac Perseuerantiæ: tunc enim non negat prosperitatem, sed loco temporalis dat Æternam. Quemadmodum prædictis duobus Fratribus Christus non negavit Sessionem ad Dexteram & Sinistram, sed tantum negavit eam, quam petebant in Regno terreno, & quâ cupiebant alijs præferri. Unde responsio Christi non est negativa, sed parit quasi hunc sensum: Sedere autem ad Dexteram meam, vel Sinistram, non est meum dare vobis præ reliquis, sed est vobis, & omnibus alijs, quibus paratum est. Apud Matthæum enim capite præcedenti versu 28. Christus omnibus dixit: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in Regeneratione, cum sederit Filius hominis in Sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super Sedes duodecim.*

PUNCT. II. *Et audientes Decem, indignati sunt duobus Fratribus.* Sic qui in Communitate privilegium vel honoratiorem inter suos locum, vel majorem apud Superiores favorem sibi exhiberi cupiunt, aliam in se odium, indignationem, invidiam, murmurationem &c, concitant; quod omnino cavendum est tam Subditis, quàm Superioribus. Jis tamen, qui talia quærunt, tu ne indigneris.

PUNCT. III. *IESVS autem vocavit eos ad se, & ait: Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum, & quia majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit velis minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit omnium servus.*



*servus.* Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. In his verbis Christus tradit modum expugnandi Superbiam; nempe ut appetitui præcellentiæ, & eminentiæ occurratur per studium prorsus oppositum, se omnibus submittendi, vilissima officia obeundi, & inserviendi alijs. Ad hoc autem, loco Argumenti, adducit indecentiam, si Discipuli Christi, ac Perfectionis studiosi, potius morem Gentium, quam suum Exemplum imitentur, & negligant pollicitationem veræ Excellentiæ, ac eminentiæ, quæ habetur apud DEVM; apud quem ille Major est, qui Humilior est: idemque Major erit in Cælo.

## MEDITATIO CCCXCI.

### *De Cæco in via sanato.*

Luc. 18. v. 35.

**PUNCTUM. I.** Factum est autem, cum appropinquaret Jericho (ex Ephrem Jerosolymam ascendens, & hic pertransiens; multi tamen putant, non tunc, cum Christus appropinquaret Jericho, sed cum egrederetur, visum huic Cæco restitutum esse, prius verò solum fuisse petatum; & deinde petitionem fuisse iteratam. Unde existimant, hanc visus restitutionem esse eandem cum ea, quam iisdem propè verbis Matthæus c. 20. v. 29. & Marcus c. 10. v. 46. narrant in egressu ex Jericho contigisse; & quidem Matthæus duos memorat sanatos, sed Marcus etiam unius tantum mentionem facit, utpote famosioris, hinc & nomen ejus refert) Cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Considera, per hunc Cæcum repræsentari

B b

hominem,